

THESIS Ima.

Miracula fundamento destituta, sine fundamento non sunt efficienda. E contra miracula fundamento gaudentia, sine fundamento non sunt in dubium vocanda.

ΕΚ ΤΕΤΙΣ

§ I.

Per miracula hoc loco intellecta nolumus quævis mirabilia, quæ in summam nos admirationem rapere apta nata sunt, quo sensu vel lippis atque tonforibus innotuere septem mundi miracula decantatissima, artificio incomparabili oculos, sumptibus magnificis aures omnium demulcentia. vid. Plinium *Natur. Histor. Lib. XXXVI. cap. 12. fol. 632.* alibiqve passim, Pancirollum *lib. 1. rerum memorabilium deperdit. tit. 33. p. 181.* aliosqve apud B. Carpzovium in *Disp. de Arca fœderis §. 1. quæ est Disp. Acad. Ima p. m. 1. 2.* Neqve Miraculorum nomine nobis heic veniunt, quævis stupenda, quæ sive ab incredibili ingenii humani solertia, sive insigni Angelorum tam bonorum quam malorum potentia, proficiscuntur, attonitosqve nos maxime reddunt, quâ ratione stupemus, si obsessi res futuras contingentes, Diabolo ita dirigente, prænunciant, lingvisqve peregrinis, nunquam antea notis, animi sensa exprimunt. conf. Georg. Franci de Frankenau *dissert. de Vaticiniis Lingvisq; egrotantium.* Sed per miracula indigitari solent effectus insoliti, qui omnipotenti divina virtute sive immediate sive intervenientibus certis organis, producuntur, adeoq; potentiam omnem tam angelicam quam humanam longè excedunt. Eò referre poteris Creationem mundi ex nihilo, universi in nihilum reductionem, transmutationem substantiæ unius in aliam, quâ de vid. Summe Rev. DD. WEIDNERI, Fautoris atque Affinis nostri omni honoris atque amoris genere proleqvendi, *dissert. de Miraculosa substantiarum transmutatione § II. sqq.* Hinc distingvit B. Kromayerus inter *ἰαυμάσια* sive mirabilia, atq; *ἰαυμάτια* sive miracula, hæc, omnem quippe naturæ vim superantia, soli Deo O. M. adscribens, vid. *Theol. posit. P. II. Loc. V. Apher. XIII. p. m. 122.* Annuunt sacra Oracula Ps. LXXII. 18. *Deus Isra-*
elie

A 3